

logiae Professor per breue tempus Dicta explanauit  
classica Ebraeo-Graeca. Et in lapide sepulchri, quod in  
Aede Coemeterii Schleusingensis, in latere altaris laevo,  
est, haec legitur Inscriptio: Iacobus Schade/ Eccles.  
Schleus. Pastor & Vice Sup., Ill. Gymn. Saxo-Henneb.  
Ephorus ac Theologiae Professor, natus & renatus Mei-  
ningae A.C. 1623. d. 9. Jul., denatus Schleusingae A. C.  
1667. d. 14. Apr. Dom. Quasimodogeniti.

## X.

## IOHANNES SCHVWIGGEN:

**I**OHANNES SCHVWIGGENIVS, S. Theol. Li-  
centiatus, in vitam hanc ingressus est Lippiae,  
vrbe VWestphaliae, d. 10. Nov. A. 1641. Pater ei fuit  
διάνυμος, Johannes Schwiggen, Senator vrbis modo  
dictae, Mater Gertrudis, Petri Schachtrupps, Con-  
sulis Lippiensis, Filia, quae, citius extincto Marito  
Schwigggenio, Joh. Schotten, Mercatori, nupsit. E  
Schola patria, Magistris heic vsus Hempelio, Pfen-  
ningio & Kellerhausio, A. 1660. Ienam concessit, se-  
dulus ibi Professorum extitit Auditor, dignusq; iu-  
dicatus est, qui jam A. 1662. Magister renunciaretur,  
& pro Loco disputandi, praefidendiique, nec non  
Collegia Studiosis aperiendi acciperet facultatem,  
Anno etiam 1665. Adiunctus fieret Facultatis Phi-  
losophicae. In cathedra ergo & suggestu sacro sae-  
pe & multum auditus, A. 1667. Auspiciis SERENISSI-  
MIS in Iacobi Schadii locum clementissime iussus est  
succedere, constitutus Vice-Superint., Pastor, &  
Ephorus Gymn. Saxo-Henneb., eodemq; anno  
mense Nouembri, Theol. Licent. Ienae, habita Le-  
ctione, quam vocant, cursoria in Hagg. II, 8. crea-  
batur, A. 1674. d. 20. Oct., mortuo, cui Optio datus  
erat,